Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 541
Quelle:
Copyright:

31. *Cap.* IX. non penitus Opuſculi finem adtingens; ultima enim ſunt: *qui mauult peccatoris correctionem, quam mortem.* Probe cum Edit. *Maur. Pariſ.* 1686. T. I. *col.* 220. conſpirat Lectio.

II. *fol.* 2. p. 2. *Incipit apologeticum Sancti Bernhardi Abbatis.* Non obſtante vetuſta manu *Sancti* compellatio recte hic habet; *Bernhardus* enim jam anno 21. ab obitu, anno videlicet 1174. per *Alexandrum* III. Divis accenſus eſt. Tractatus noſter ad *Wilhelmum* ſeu *Guil. S. Theodorici* Abbatem e primis Documentis eſt, Eccleſiam parum ſaepe adjutam fuiſſe ſubnatis tot Regularium Reformationibus, quas livor et aemulatio, ut etiam in Clauſtris homines ſumus, facile inter ſe commiſit. Idem dic de diverſis religioſis Inſtitutis, quibus eundem ſibi ſcopum praefigere permiſit. Verum haec non ſunt hujus loci. Extat *Apologia* noſtra Edit. *Maur.* T. II. *col.* 527. cum *Praefatiuncula*, quam Codex non habet, qui continuo incipit: *Venerabili Patri W. frater. B. — Vsque modo ſi qua me ſcriptitare iuſſiſtis* &c. ſincerae lectionis eſt, ſed aliis Rubricis diviſus.

III. *fol.* 12. p. 2. *Incipit prologus domni Bernhardi abbatis in opus ſequens.* Ita: *Scribere me aliquid et deuotio iubet* &c. Opus ſequens ſunt IV. *Homiliae ſuper Miſſus eſt* cum brevi Epilogo, prout Edit. *cit.* T. III. *col.* 732.

IV. *fol.* 35. p. 2. *Sermo de Sancto Nycolao.* Sermo hic in Edit. T. V. *col.* 717. tribuitur *Nicolao* Monacho *Claraevallis*, et quaedam aliter habet, quam quidem Codex noſter. Sic init: *Nicolaus iſte meus, immo et veſter, electus ab utero*, ubi Noſter: *Nycolaus iſte deo dilectus, imo uere electus ab utero;* et mox: *conventum noſtrum ſua laetificat feſtiuitate*, ubi Noſter: *reuerentiam ueſtram* &c.

V. *fol.* 39. usque ad fol. 117. decurrunt *Bernhardi Sermones*, quos *de Diverſis* inſcribere amant, numero LXV. cum *Mauriani* T. III. cenſeant CXXV. quibus ſi Titulorum Indicem praefigere voluiſſent, multum levaſſent operam Codices contendere cupientibus. Igitur non ultra ſpecimen laboris progreſſus ſum. Primus nobis inſignitur: *Ad monachos dum fruges meterent*, Maurianis XXXVII. Alter: *tempore ſecationis et meſſis. de irriguo inferius et de irriguo ſuperius*, Maur. XXXIX. Tertius: *ſecundus de altitudine et baſſitudine cordis ex occaſione precedentis ſermonis*, non itaque divellendus erat et ponendus XXXVI. Quartus: *de verbis ſcripture. Populus quem non cognovi ſeruiuit mihi* &c. Maur. LXXVII. Quintus: *de verbis ſcripture. Quis aſcendet in montem domini* &c. Maur. LXI. Ulterius viderit, cui ſingillatim de *Bernhardo* res fuerit; fieri enim poſſet, ut inter hos maximam partem Sermunculos lateret unus aliquis, qui Maurianorum ἀκριβειαν luſiſſet.

VI. *fol.* 117. p. 2. continuo praedictis adſcriptus eſt Sermo prolixior *De ſeptem donis ſpiritus ſancti*, qui ſic orditur: *Mediator*

dei